



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Bonaldi Societatis Iesv Theologi, Divina  
Ecclesiae Oeconomia**

**Bonald, François**

**Coloniae, 1611**

Reverendo Ad Modvm Patri, F. Hervaeo Forestio, Sodalitij Franciscanorum  
Obseruantium Prouinciæ Britanniaë Ministro [...] merito.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48916)

**REVERENDO**  
**ADMODUM PATRI, F.**  
**HERVAEO FORESTIO, SO-**  
*dality Franciscanorum Obser-*  
*uantium Prouincia Britan-*  
*nia Ministro beate*  
*merito.*



Dmodum Reue-  
rende Pater, Nosti  
quomodo in ma-  
gnis illi Onerarijs  
ad bellum instructis, dum va-  
sto oceano in circumgyran-  
tes vndique hostes deferun-  
tur, ad clauum puppi praeside-  
at Nauarchus, vt cursum di-  
rigat; in prora Proreta vigi-  
let, vt decumanos fluctus &  
breuia vitanda edicat; in car-  
chesio Misenus aliquis specu-  
letur, vt à longe aduentatem  
2 hostem

EPISTOLA

hostem denunciet. Vidisti  
 forè aliquando, quomodo  
 sentinam trahant mesonau-  
 tæ, per transtra discurrant epi-  
 bata, ferreas manus, vncos  
 que præparent. Quomodo per  
 tabulata dispositum militem  
 pendente gradu, & labente  
 vestigio, firmiter aut stare, aut  
 incedere Ductores ordinum  
 consueſcant. Quomodo hi  
 maius, illi sipparum, isti pro-  
 dromum velum attollant,  
 laxent, attrahant. Eadem  
 omnia, maiore cum ordine  
 & ornatu, in nauicula Petri,  
 Christi Ecclesia, quotidie per-  
 agi videmus; adeò perfectè ad  
 gnomam exactæ œconomix  
 hanc suam familiam Deus,  
 & Dei filius instituit: In ea e-  
 nim ad clauum sedet Ponti-  
 fex, assistunt ei Cardinales, E-  
 piscopi

## DEDICATORIA.

piscopi; facienda aut vitanda  
Ecclesiæ Doctores edicunt;  
pericula Pastores & Rectores  
denunciant, & modum decli-  
nandi docent: Inter milites  
Religiosos infima obsequia  
præstant laici, arma præparant  
Clerici, firmo gradu in ho-  
stem ire, destinato ferire do-  
cent Magistri; in aciem con-  
tra aduersarios educunt Mi-  
nistri: Alij quoque quibus ea  
scribendi est copia, maius ve-  
lum attollunt; alij, vt breui-  
rati & lectorum capacitati cõ-  
sulant supparum, aut prodro-  
mum velum erigunt. Inter  
illos famosissimi sunt Bellar-  
minus, Alphonsus à Castro,  
Feu-ardentius & alij multi:  
Inter hos autem (vt cæteros  
omittam) R. P. Franciscus  
Bonaldus à Societate Iesu v-  
tilem

\* § tilem

EPISTOLA

tilem sanè Ecclesiæ operam præstitit, cum hunc mole paruum, vtilitate magnum, lectu iucundum, intellectu facilem, de Diuina Ecclesiæ Oeconomia libellum cōscripsit. Quicquid mihi à quodam Bibliopola procudendorum piorum librorum studiosissimo, in latinum sermonem conuertendus offerretur, haud multum repui: Videbam enim in hoc libello totam illam nauis Ecclesiasticæ Oeconomiam, ita natiuis suis coloribus scitè depingi, vt nullus Xeuces viuidius; ita proprijs lineamentis proportionatè adumbrari, vt nullus Appelles exactius, in tā breui tabella idem facere potuisset. Fateor multos de his rebus scripsisse, adeo vt non dubitem

tem

DEDICATORIA.

tem à quibusdam mihi illud  
Satyrici occinendum.

*Stulta est clementia, cum tot  
ubique*

*Iuvenal.  
Sat. 1.*

*Vatibus occurras, peritura par-  
cere charta.*

Sed quid vetat eandem ci-  
bum diuerso iusculo condi-  
tum iteratò apponi; eandem  
carnem hic assam, ille elixam  
mauult; ex iisdem parum  
puero, multū viro ministra-  
tur; illum enim copia obrue-  
ret, hunc inopia debilitaret.  
Angusti oris vascula, si vehe-  
menti vento exponas, nihil  
venti admittent; si tamen cō-  
tracto ore tenuiorem hali-  
tum inspiraueris, facile ea im-  
plebis. Ita etiam tardiora  
illa ingenia, aut felicia qui-  
dem, sed quæ exiguum solum  
ostiolum rebus spiritualibus

\* 4 pate-

EPISTOLA

patefactum habent, vasta illa  
 Bellarmini volumina non  
 capiūt, doctissimam D. Tho-  
 mæ summam non admittūt,  
 deuotissima S. Bonauenturæ  
 commentaria non intelligūt.  
 3. Reg. 17. Ut tamen & hos iuues, quid  
 facies? Mortuum puerum He-  
 lias ad vitam reuocaturus, tri-  
 bus vicibus super illum men-  
 4. Reg. 4. sus est: defunctum alium su-  
 scitarus Eliseus, os suum po-  
 suit super os pueri, & Apосто-  
 4. Cor. 3. lus Corinthijs tanquam par-  
 uulis in Christo lac potum  
 dedit, non escam, adhuc enim  
 carnales erant. Ita etiam Bo-  
 naldus rudioribus istis, & in  
 fide paruulis, non aridum pa-  
 nem licet fractum & mastica-  
 tum, ut plerique catechistæ,  
 ingessit, sed mellitissimum  
 aliquod laganum, & suauis-  
 simum

DEDICATORIA.

simum fauum tanquam sedula apis ex Patrum hortulis, Scripturarum areolis, Scholasticorum gradarijs collegit.

Quibus autem simplicibus hæc confectio constet, ipsemet Author sua ad Lectorem præfatione ostendit, ideoque mihi non in eo, sed Patronum, ut quærerem laborandum fuit. Emiserat suum partum Author nullo protectum Clypeo, nullo munitum patrono, nam foetum hunc, & parentis nomen iam notum, & maiorum natu fratrum celebritas, passim audita, satis securum reddebant. Noster autem quantumscunque hic labor, nec patris nomine notus, nec fratrum fama conspicuus ad subitam lucem trepidat, & nutrimentum quærit, qui educet; tutorem,

—

5

torem,



EPISTOLA

torem , qui protegat.

Circumspiciente itaq; mihi  
tui potissimū tāquā fidelissi-  
mo protectori spellā hāc no-  
strā cōmēdarem, prāstātissi-  
mis me stipatū amicis, cinctū  
fautorib; aduerti, inter quos,  
velut inter stellas Luna mi-  
nores, statim duo sydera af-  
fulserūt. In ipso enim limine  
R. P. Nicolaus Vigerius Mi-  
nister prouincię Coloniēsis,  
columna pius & columē oc-  
currebat; animo meo recētia  
eius beneficia, tā mihi priua-  
tim, quā toti Prouincię pub-  
licē prāstita, obuersabantur.  
Nā pręter tēplum reedificatū,  
cōuētū pro bona parte restau-  
ratū, mores reformatos, dis-  
ciplinā introductā, ipsi pro-  
uincię de futuris Patribus in  
multos annos, si spes messis  
quæ

DEDICATORIA:

quæ adhuc in herba est, feliciter succrescat, prouidit. Optimæ enim indolis & fælicis ingenij iuuentutem vndique ad castra nostra cõfluentem, & ad sacra, emissa professione, admissam philosophicis ac Theologicis præceptis imbuendam, regularibus disciplinis efformandam, curauit & etiam num curat. Huic itaque studio me Prouinciam illam vixdum ingressum, & non nisi aliquot amicis, & familiaribus alloquijs cognitum, Paterno affectu præfecit: Quo rogante, iubente, Philosophiæ stadium ingressi, cum bono Deo, & fratrum, vt spero, profectu, illud decurrim⁹; modo autem in difficultatib. Magistri Sententiarum enodandis occupamur: Nunquã

EPISTOLA

interim R. P. Ministri erga  
nos benévolutia, erga profes-  
súm fratrum sollicitudine  
cessante, & deo fraternæ chari-  
tatis zelo ardet, & Religionis  
Seraphicæ decorem, ornatū-  
que amant, Eliam quempiam  
pro Domino Deo exercituū  
zelantem, aut Paulum alte-  
rum, anathema pro fratribus  
suis fieri optantem, diceres:  
Sed taceo, ne vicinus nimiū  
in oseum laudare videar, cu-  
ius bona fama omnibus in o-  
re, odor Christi in nare est.

3. Reg. 19.

Rom. 9.

Hæc recentia quidem, & tā  
mihi, quā in ordini exhibita  
beneficia, suo quodam iure  
postulare videbantur, vt hic  
meus apud Vbios luci datus  
partus, ex Vbijs aliquem tute-  
larem quæreret, ad cuius ami-  
citiæ aram hanc grati animi  
tabulam

DEDICATORIA.

tabulam appenderem: Appē-  
derem equidem, & Heroicarū  
tuarum Virtutum tropheo,  
mi Vigeri, hoc nostrum o-  
pusculum tanquam quoddā  
corollarium adderem, nisi  
me antiquiore iure, vt suum  
manciparet Forestius: Vester  
sum, vt hospes, illius, vt fili-  
us, licet libens, lubensque me,  
vtriusque filium, tuum ado-  
ptione, illius spirituali gene-  
ratione fatear. Regula Iuris  
est, *Qui prior est tempore, potior  
est iure*, potiore itaque iure  
hunc primum meum factum  
vendicabit, suumque asseret,  
qui prior me nouit, amauit,  
coluit: Amabo autem te, mi  
Foresti, si hūc partum lachri-  
mantem placidus suscipias.  
Venio ad te gratulabundus,  
vt tibi totius capituli gaudio  
\* 7 electo,

EPISTOLA

electo, & tamen fortè dolenti, de tuo dolore, & fratrum gaudio ex animo congaudeã. Venio gratus, vt tibi pro tuis in nos meritis meritissimas gratias agam. Venio amicus, vt pro singulari tua, eaq; nunquam interrupta familiaritate & amicitia, qua me, meosque ab ipsis incunabilis complexus es, beneuolenti & amici animi signum ostendam.

Et quid mi hunc de Diuina Oeconomia R. P. Frãncisci libellũ Frãnciscanæ familiæ œconomio fidissimo & diligentissimo offerã? Ecclesiæ origines ac fundamẽta vita & doctrina cõspicuo Ecclesiastę dedicem? Theologiæ quasi cõpendium doctissimo Theologo consecrem? Et quid mirum?

*Fortes creantur fortibus & bonis.*

—Nec

DEDICATORIA:

— *Nec imbellem feroces  
Progenerant aquila columbam.*

Ita neq; ab illo Philosophiæ  
ac Theologiæ ocello Ansel-  
mo Priquay, alius discipulus  
expectandus erat, quã qui ad  
perfectã Magistri sui normã  
expressus, in dicẽdo esset facũ-  
dus, in probãdo neruosus, in  
docẽdo clarus, in arguẽdo cõ-  
cisus, in distinguẽdo subtilis:  
Ita vt in eo concisa Scoti sub-  
tilitas, doctrinalis Bonauen-  
turæ claritas, succulētus Au-  
gustini neruus, fluida Cicero-  
nis facundia, reuixisse vide-  
antur. Benè autem huic ope-  
ri cum patronum nomino,  
qui ex eorum nobili stemma-  
te originẽ ducit, quos non de  
plebe aliquis, sed potentissi-  
mi Galliarum reges suos a-  
pud exteros Principes Patro-  
nos

nos

EPISTOLA

*Paul. Io.  
uius Hist.  
l. 36.*

nos esse voluerunt. Testatur  
id eximius ille & eloquentis-  
simus Forestius, qui Regis sui  
Christianissimi Francisci pri-  
mi apud Carolam V. Impera-  
torem defensorem agens, ex-  
ortam quandam grauissimam  
discordiam sedauit. Denique  
communis patria à me suo  
quodam iure exigere videtur,  
vt quia mea praesentia eam  
nondum adiutare valeo, saltim  
aliquid meum praemittam, quo  
ei auxilio sim: Effudit illa fa-  
cundo suo gremio, vt Troia-  
nus equus, viros piissimos,  
cōcionatores facundissimos,  
Vruatium qui me ad habi-  
tum Religionis Seraphicæ  
admisit, Laouenanum, qui  
me ad studium Scoticarum  
subtilitatum promouit, aliosq;  
innumeros, inter quos R. V.  
iana

DEDICATORIA.

iam diu omnium ore, nunc etiam totius capituli applausu primas tenet, docēdo, monendo, regendo, dies noctesq; exhauriens.

Ne ergo tanquam ignauū pecus in omniū vestrū negotio otio diffluere videar, hoc nostri laboris monumētum, amicitiae Mnemosinō, gratitudinis signū. ad paternū R. V. sinum obsequentiſſimus filius suscipiēdum ac protegēdum defero. Omnipotentem interim Dei bonitatē deprecor, vt te nobis Patrē, libello Patronū, Prouinciæ ministrū diu seruet incolumē. Ita voveo, & vale. Ex conuētū Frāciscanor. ad Oliuas Coloniae Agrippinae. 8. Id. Martij. 1611.

*R. Vestr. deuotiſſimus*

*F. Franciscus Milon Britannus.*